





THESIUM INAUGURALIUM  
PARS MATHEMATICO - PHYSICA

QUAM

DEO JUVANTE

1792, 3.

RECTORE UNIVERSITATIS EBERHARDINÆ CAROLINÆ  
MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO ATQUE POTENTISSIMO DUCE  
AC DOMINO

DOMINO  
CAROLO

DUCE WIRTEMBERGIAE ET TECCIÆ REGNANTE

REL. REL.

PRÆSIDE

CHRISTOPH. FRIDER. PFLEIDERER

UNIVERSITATIS ET COLLEGII ILLISTRIS PROFESSORE PHYSICES

ET MATHESEOS PUBL. ORD.

PRO CONSEQUENDO GRADU MAGISTERII

PUBLICE DEFENDENT

D. SEPT. MDCCXCII.

H. ET L. CONS.

CANDIDATI LAUREÆ SECUNDÆ.

TUBINGÆ

LITTERIS SCHRAMMIANIS.

479.

KENFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALLE



## I.

In Lemmate, quod propositioni XII, 2. Elementor. in textu Graeco adiunctum exstat, desiderari potest reductio assumti in parte altera demonstrationis ad illud, quod in ipso demonstrationis limine ponitur. Nam rurum concessio, esse (fig. version. Lorenz. ad XII, 2.)  $\overline{BD}^q : \overline{FH}^q =$  circul. ABCD: spatium aliquod R; pariter erit  $\overline{FH}^q : \overline{BD}^q =$  circul. EFGH: spatium aliquod Z. Proinde (V, 4. Coroll. & V, 11.) spatium R: circul. ABCD = circul. EFGH: spatium Z; quod circulo ABCD minus erit per V, 14. si circulus EFGH est spatio R minor.

## II.

Sic Lemma illud non omnino, quod nunc est, inutile foret.

## III.

Eadem reductio pariter demonstrationibus propositionum XII, 5. 11. 12. 18. applicabitur. Quod innuere censeri potest expressa ad prius ostensa provocatio, demonstrationibus XII, 5. 18. sub finem inserta.

## IV.

Demonstratio propositionis XII, 7. supponit propositionem antea non enunciatam: quod pyramides triangulares aequae altæ super basibus aequalibus sint aequales. Cujus ex XII, 5. illatio supponit theorema in Libro V. haud demonstratum: quod quatuor magnitudinum proportionalium tertia aequalis sit quartæ, si prima aequalis est secundæ.

## V.

Loco propositionis generalioris XII, 4. substituta specialiore: quod ex pyramidibus triangularibus æquealtis & æqualium basium eo, quem XII, 3. 4. præcipiunt, modo resectæ summæ prismatum, eidem sectionum numero utrinque respondentes, sint æquales; per hanc & XI, 3. absque alio assumto præter X, I. evinci potest: duarum pyramidum triangularium æquealtarum super æqualibus basibus neutram posse altera esse minorem.

## VI.

Unde immediate licebit stabilire propositionem XII, 7. ejusque corollarium; ac deinde hujus ope & XI, 28. propositionem XII, 5. inferre ex XI, 32. simili modo, quo XII, 8. per XI, 33. demonstratur.

## VII.

Vel eandem XII, 5. adstruere licebit ea methodo, quæ in VI, 1. adhibetur.

## VIII.

In parte posteriori demonstrationis XII, 10. dari sumitur tertia pars cylindri propositi; contra morem *Euclidi* alias solennem, magnitudinum datarum multipla solum postulandi.

## IX.

Quem tenere licebit, uti in parte priori; adhibendo prismata cylindro, & pyramides cono circumscriptas.

## X.

Pariter adhibendis prismatisbus tam intra quam circa cylindros, pyramidibus tam intra quam circa conos descriptis, demonstratio propositionis XII, 11. simili modo, quo XII, 2. (*Diff. de dimens. circ. §. 48.*) ad ipsam Libri V. definitionem 5. potest reduci.

## XI.

## XI.

Præmissa propositione XII, 13. cuius ceterum demonstratio ab XII, 11. haud necessario pendet; et assumto tertio cylindro super eadem basi cum uno propositorum, & circa axem in directum cum ejusdem axe jacentem, æqualem vero axi alterius; propositio XII, 12. directe potest eadem methodo, qua XI, 33. demonstrati.

## XII.

Porro adhibitis prismatibus cylindro, pyramidibus cono inscriptis & circumscriptis; eadem methodo, qua *Archimedes* in *Propof. I. Libri de dimens. circuli* utitur, potest evinci: cylindro æquari prisma, cono pyramidem, in eadem cum ipsis altitudine, & super basibus, quæ æquales sint circulis, quibus cylindrus vel conus insunt.

## XIII.

Quo facto, propositiones XII, 10. 11. 12. & ceteræ ad solida cylindrorum ac conorum spectantes ex præcedentibus, ad parallelepipeda, prismata ac pyramides pertinentibus, sponte consequuntur.

## XIV.

Propositio XII, 18. ad XII, 12. reducitur; præmisso, quod *Archimedes* (*Lib. I. de sph. & cyl. Prop. 32.*) demonstrat: spharam quadruplam esse coni, cuius basi circulo maximo sphæra, altitudo autem semidiametro ejus æqualis sit; proinde sesqui alteram cylindri circumscripti.

## XV.

Elementa igitur necessario haud indigent axiomate vel postulato: quod, quam proportionem magnitudo aliqua ad aliam habet, eandem habeat quævis magnitudo proposita ad aliquam aliam; uti nec assumto specialiori partis, cuius libuerit, magnitudinis propositæ.

## XVI.

Et præter subsidium propositioni XII, 18. adhibendum, quod *Archimedes* demum suppeditavit (*Prooem. Lib. I. de sph. & cyl.*), cetera ejus-

modi sunt, ut eorum usu non sine graviori aliqua ratione abstinentiisse,  
& insolitam alias methodum prætulisse *Euclides* censetur.

## XVII.

Cum *Archimedes* (*l. c.*), præter alias circa solida speculationes, nominatim propositionum XII. 7. 10. inventionem *Eudoxo* tribuat; ansa nascitur conjiciendi: *Euclidem* fervidis auctoris demonstrationibus eandem *Eudoxo* testatum esse venerationem, quam *Aristeo* in Conicis prestitisse *Pappus* prædicat (*Prefat. Libri VII. Collect. math.*)

## XVIII.

Vero similius videtur, *Eucli* obversatum fuisse theorema generale: magnitudinum certa lege simul crescentium ita, ut, que sibi mutuo respondent, semper sint in ratione quadam constante, limites esse in eadem ratione; cuius demonstrationem, postulatum vel generale vel speciale *Thef. XV.* omnino exigentem, in propositionibus XII. 2. 5. 10. 11. 12. 18. adstruendis accurate sequi & exprimere, uberioris doctrinæ causa e re esse censuerit.

## XIX.

Ottонem de Guericke instrumentum, quod nunc manometrum vocamus, ab barometro haud, certe non satis, distinxisse (*Wolfi Aerometr. §. 163.* Ejusd. Nüzl. Versuche. II. Th. §. 406. Karstens Anfangsgr. der Naturl. §. 199. Gehlers physik. Wörterb. III. Th. S. 135.) refellit tum rationis variationum æquilibrii ejus, quam (*Experim. nov. Magdeb. p. 100. 114.*) tradit, explicatio; tum distinctio, quam (*Ibid. p. 100. sq.*) adhibet, gravitatis aëris universalis & particularis; & expresse tam pro diversa compressione, quam pro calore diverso variare notata aëris condensatio ac gravitas (*l. c. p. 101. 124.*)

## XX.

Quod autem in evacuatione globi ponit momentum (*Schotti Techn. cur. p. 59.*), hydrostaticis rationibus conforme non est.

## XXI.

## XXI.

Nec Rob. Boyle utrumque instrumentum haud dignovisse jure accusari videtur.

## XXII.

Manometrum ab Guericke inventum fuisse anno 1654. tradit van Swinden (*Postr. phys. Tom. II. P. I. p. 87.*), provocans ad ejus *Experiment.* p. 101. & ad Schotti *Techn.* p. 45.; ubi vero nullum hujus epochæ vestigium occurrit. Idemque assertum pugnat cum altero, quo Ottonem de Guericke experimentum aëris pondus ad bilancem explorandi primum instituisse anno 1656. van Swinden commemorat (*I. c. p. 81.*), testes afferens *Experiment.* p. 101. & *Techn.* p. 25. 229. Sed his etiam locis nullum ejus anni indicium exstat, præter *Techn.* p. 25. in subscriptione epistola Guerickei; in qua vero ad experimentum Ratisbonæ (1654.) & Heriboli jam factum provocat.

## XXIII.

Experimenta autem de variatione densitatis aëris manometro haud multo ante ab Guericke facta fuisse, quam de iis ad Schottum sub finem anni 1661. scriberet (*Experiment.* p. 100. *Techn.* p. 52. sq.); tam silentium de illis in prioribus ad Schottum epistolis, quam expostio diversa comprehensæ ab se differentie ponderis recipientis sui aëre vacui & pleni, in epistola ad Schottum 18 Jun. 1656. (*Techn.* p. 25.) & in *Experiment.* p. 101. extans, arguere videntur.

## XXIV.

Variam quoque aëris pressionem in machina sua hydraulico-pneumatica (*Exper.* p. 97.) sub idem demum tempus Guericium obseruasse, probabiliter inde conjicitur: quod nullam ejus mentionem injicit in epistolis ad Schottum anno 1656. & sequentis decursu ad 4 Aug. usque, contra in literis 16 Nov. & 13 Dec. 1661. ubicunque de pressione aëris agit, monitum de diverso ejus temporibus pondere adjungit (*Techn.* p. 37. 49. 51. sq.)

## XXV.

## XXV.

In iisdem epistolis, in quibus primum diversam temporebus aëris gravitatem Schottum edocet, simul commemorat & fere ipsam comitantes tempestatis mutationes, & singulare suum illam observandi atque has præfigiendi artificium, ope virunculi intra tubum vitreum suspensi; quod non *Comiers* primus (*Gehlers phys. Wærterb. I. Th. S. 103.*), sed ipse auctor in *Judicio de cometă* circa finem anni 1664. scripto (*Lubinietzki Theatr. comet. P. I. p. 239.*) anemoscopium appellavit. Idem l. c. nuper ab se inventum dicit. Et *Guerickius* junior in epistola ad *Stanisl. Lubinietzki* 1 Aug. 1665. data (*Theatr. comet. p. 250. sq.*) experientiam per sex, septem annos variationum tempestatis cum virunculi ascensu & descensu consensum docuisse refert.

## XXVI.

Indicis igitur sui vicissitudinum tempestatis celandi studium, ejusque ignaros præfigiis harum percellendi animus haud videntur potuisse ansam *Guerickio* præbere secreta servandi, quæ pluribus adeo ante *Torricellum* annis de pressione aëris barometro demonstranda ac metienda experimentatus fuisset (*Kirwans physisch-chemische Schriften; übersetzt von D. Crell. III. Band. S. 103 f. Anmerk. des Herausg.*); & quæ reipsa Ratisbonæ 1654. præter alia experimenta barometro aqueo comprobavit. (*Techn. p. 25. 34.*)

## XXVII.

Barometri autem mercurialis constructionem Ratisbonæ 1654. demum se didicisse ipsum *Guericke* profitetur, ejusdemque inventionem *Torricelio* vindicat. (*Exper. p. 117. sq.*)

W18

**ULB Halle**  
005 361 877




3





B.I.G.

Farbkarte #13



THESIUM INAUGURALIUM  
PARS MATHEMATICO - PHYSICA

QUAM

DEO JUVANTE

RECTORE UNIVERSITATIS EBERHARDINÆ CAROLINÆ  
MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO ATQUE POTENTISSIMO DUCE  
AC DOMINO

D O M I N O

C A R O L O

DUCE WIRTEMBERGIAE ET TECCIAE REGNANTE

R E L . R E L .

P R Ä S I D E

CHRISTOPH. FRIDER. PFLEIDERER

UNIVERSITATIS ET COLLEGII ILLISTRIS PROFESSORE PHYSICES  
ET MATHESEOS PUBL. ORD.

PRO CONSEQUENDO GRADU MAGISTERII

PUBLICE DEFENDENT

D. SEPT. MDCCXCII.

H. ET L. CONS.

CANDIDATI LAUREÆ SECUNDÆ.

T U B I N G A E

L I T T E R I S S C H R A M M I A N I S.